NONNULLA DE VALETUDINE RITE TUENDA INFANTUM IMPRIMIS...

Antonio Finato



NONNULLA
DE
VALETUDINE RITE TUENDA
INFANTUM IMPRIMIS
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICE PROPONIT

FINATO ANTONIUS

VERONENSIS



PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

1838

PROEMIUM.

Quam vastus de salute tuenda vel generalia edisserenti praecepta pateat campus, nemo non dignoscit, qui innumeras morborum varietates, quibus humanum corpus obnoxium est, sibi prae oculis fingat. Hygiene enim, seu ea Medicinae pars, quae omnes tuendae sanitatis regulas, vel ejus conditionis in humano corpore servandae praecepta docet, quae libere, jucunde, et constanter animales, vitales ac naturales functiones exerceantur, in eo potissimum versatur, ut omnes ejusdem hominis valetudini infensae rationes tuto removeantur, earumque coerceatur influxus. Hujuscemodi Medicae doctrinae Spartae praestantia quaenam sit, ex ejusdem elucescit objecto, nec medicorum munera praegreditur, siquidem sanos, vel infirmos agere ipsis conveniat, ut secunda tueatur valetudo, aut restituatur a norma devergens.

Cum itaque hygiene medicorum officia complectatur, hominisque saluti, diuturnaeque conservationi directum prospiciat, mirari haud subest, plurimos inter sapientissimos medicos extitisse, qui eam patriae partem

studiose coluerint, et salutari illustraverint doctrina. In libris de diaeta, aere, et locis quam plurimi habuisset hygienem medicinae parens Hippocrates dilucide comperitur. Cornelius Celsus de victus ratione agens, et Galenus de alimentorum proprietatibus, de succorum bonitate et vitio, ac speciatim ubi de sanitate tuenda disserit, praestantiora in re praecepta evicerunt. Multis jam aetatibus elapsis, post alios Graecos, Arabesque medicos, qui locupletiorem reddiderunt servando salutis artem, Cardanus aliqua jam notis adjunxit praecepta. Alii de re cibaria, et de alimentorum facultate summa eruditione, rerumque copia scripserunt. Lodovicus Cornelius vitae sobriae utilitates exposuit, et maximam in victu temperantiam praescripsit. Mercurialis porro, Sanctorius, Fidericus Hoffmannus, Ramazzinius (cujus animadversiones salutem principum, vestalium, morbosque artificum respicientes, summis extolluntur praeconiis), aliique plures maximam merentur laudem. Eximius autem Tissot litteratos homines praeceptis instituens, quae ipsis opitulantur ut mala ab indefessis studiis tuto removeant, vel damna recensens, quibus subjiciuntur, qui in urbibus otio, ac voluptatibus addictam vitam gerunt, vel tandem de morborum speciebus, quae hominibus vulgaribus, et praesertim rusticis omne sanitatis regimen neglígentibus infensae fiunt, removendis agens, praestantissimam, et humanae societati utilissimam opem largitus est. Clarissimus Carminati plura auctorum in unum libellum colligens praecepta, suisque optimis animadversionibus additis, hominum non parum consilio adfuit. Eximii tandem patriae periti, qui hisce temporibus publicam hygienem excoluerunt, ut Foderè, Frank, aliique, summam huic argumento imposuere manum. Cum res ita sint, cumque auctores, argumenti dignitate perspecta, sedulam nava-

verint operam, ut omnibus illud absolverint numeris, quid ex paucis pagellis levidensi calamo, imperitaque manu a tyrone conscriptis sperandum? Praestans opus proferre nos quidem audaci non hallucinamur desiderio; muneri fungimur accademico, et cum plura fiunt similia, sed aliter, cum strictim omnia quae in magnis libris sunt diffusa, offerri possint, cumque tandem, nec laboris, nec patientiae in colligendo, ac commentando quid amittemus, hoc tenue manusculum acceptum fore speramus. Adeo plures obveniunt rationes, quae hominum cujusvis aetatis salutem interminantur, et adeo innumera praecepta sunt, quae in morbiferis causis removendis, earumve influxu praepediendo versantur, ut de omnibus agere dissertationis limites non sinat. Quare de iis solummodo sermonem suscipiemus, quae homini cujusvis conditionis communia sunt.

SECTIO PRIMA.

Quibusnam auxiliis recens natus, et puer indigeant, ut incolumes serventur, et prospere increscant.

Cum uberrimus morborum fons ex idonei regiminis, quod homini vix nato impertire debetur, defectu, vel ex noxis ipsi inscienter admotis, proficiscatur; praecepta, quae infantibus, ut eorum integritas servetur, prospiciunt, in animo exarare nunc mihi est. Omittam vero ea, quae obstetriciae periti munus complectuntur, ad res diaetam lato sensu respicientes coercito sermone.

Vix in lucem editus infans aeri insueto stimulo subjicitur, quo plus minusve tenella ejusdem compages adficitur, quemadmodum vagitus abunde testatur. Aeris proinde conditio ea sit oportet, ut primum quoad

caloris gradum ab animali temperatura haud summopere distet. Mollissimum enim corpus 32 caloris gradubus assuctum gravissimos necessario effectus ab aere frigido experiri debere, nemo est qui non dignoscat. Textus cellularis contractio, et transpirationis cutaneae suppressio membranarum mucosarum irritationem ut plurimum praegrediuntur, quam ob rationem modo ischuria, modo praepedita meconii, aut mucosarum materierum, quibus aereae infarciuntur viae, expulsio, in propatulum veniunt, et hisce omnibus vel emollientibus, clysmatibus, vel fomentis vesicali regioni superimpositis, vel morbi pervicacitate dictante nonnullis vesicae regioni admotis hirudinibus mederi oportet.

Nondum respirationis negotio assueto infante purissimus aer, et universim siccus, convenit. Vitiatus, et mephiticis exhalationibus inquinatus, quam male conducat infantes, qui publicis charitatis hospitiis aëre libero interdum destituti commissi, vel praematura morte corripiuntur, vel infelix, et valetudinarium vitae curriculum absolvunt, sat clare demonstrant. Parentes propterea ad hunc maximum vitae adminiculum animum adhibeant; recens natos in eodem puerperae cubili non collocent, siquidem fieri non potest, quominus, munditie reservata, lochiis plus minusve putrescentibus aër inquinetur.

Ratio, qua infantum corpus ab aeris injuriis tuetur, summum aeque respectum deposcit. Deplorabilis apud nos invaluit, nullis prorsus suffultus utilitatibus, mos, omne corpus arctissime fasciarum appositione perstringere. Eheu quam male se habent in tali statu abdominis, thoracisque viscera! Eheu quam frequens artus oblique locatio, pedum contorsio, atque tenelli corporis figurae deturpatio! » L'infante, inquit quidam vir, » imprigionato, e stretto dalle fasce è messo in uno

» stato di rigidità, e di tensione, così sono compressi
» quei primi moti, e quella giovialità, che gl' inspira-
» no le prime aure di vita, non vi ha pel suo corpo,
» che una sola, e medesima posizione; il torace, e l'addo-
» me stanno in angusti confini; sono compressi i vi-
» sceri; la circolazione, e la respirazione non sono li-
» bere . . . . Questo stato di violenza, e di angustia
» si appalesa al colore violaceo dell' infante, e alle ite-
» rate convulsioni, che non di rado mettono a pericolo
» la sua vita. Fortunati quelli, che sopravvivono sani
» ad un così incongruo governo, poichè non pochi di
» loro traggono poscia una vita compassionevole » Quae cum mater trutinetur, fasciarum usum abolendum esse non inficiabitur. Nos attamen extrema vitare nitentes, eas solummodo admonemus, ne vinculis nimis arctis pectus, et epigastrium perstringant, verum tali ratione infantum corpus obtegant, ut liberi motus, et facilis circulatio ac respiratio fieri possint. Quem infinem cubat porro tenellus capite altius, nec diu in eodem sito commoretur. Omnium optimum recens nati alimentum maternum constituit lac; ast matris crudelitas ubera proli denegantis tam necessario vitae praesidio ipsum natum defraudat, et mercenariis femellis lactationis opus innumerae tum matronae cum ignobiles puerperae committunt. Tanta enim invaluit hisce temporibus in lactationis munere nausea, ut ipsa plebs, nisi dirissimis excrucietur calamitatibus, jam lactare fugiat, et illud naturae officium, et tam sanctum, et utile ministerium spernat. Cum vero nonnullae circumstantiae obveniant, quae matri lactationem praepediunt, cumve medicorum objurgationes matris animum ad hoc perutile munus nondum ita induxere, ut ubique mercenaria lactatio sit abolita, perpendant saltem parentes quibusnam notis optima nutrix informari debet

Nutrix bona corporis constitutione donetur, non nimis juvenis, nec senescens, inter 20, ac 25 aetatis annum versetur, et mediae obesitatis, id quod animum simul placidum denotat, sit. Quae fulvos capillos pascunt, siquidem graveolentem transpirationem cutaneam praeferunt, et majori mansuetudine plerumque non gaudent, lactationis officio universim haud bene respondent. Strabismo adfectae faeminae enutritis infantibus idem vitium communicare visae aliquando fuere; nec eis lactatio committenda; item ac illis, quae balbutie, blaesitate, aliisque loquelae vitiis laborant. Cum halitus constanter graveolens delitescentis in interaneis morbi indicium praebeat, vel pravam digestionis conditionem exprimat, ita nutrices hac nota constanter insignitae rejiciendae. Dentes cariosos non habeant; tunc enim facili odontalgiae obvenit, qua occurrente, lactis conditio immutatur, et infans necessariis ut plurimum curis destituitur. Ex medicorum sedulo examine parentes sibi competitum habeant, utrum nutrices quibusdam adfectibus, uti scrofula, parectamate, scabie, syphilide, etc. laborent; earumque mores inquirant, siquidem impudica mulier, licet sanissima, momento temporis horridae syphilidis germen acquirere potest. Mammarum conditionem summum deposcere respectum, ex earum officio liquido fluit. Utraque bene constituta, duritie haud adfecta, cicatricibus non deturpata, sat prominenti, et erectili papilla instructa sit, oportet. Mammae ultra normam graciles, depressae, planeque extenuatae, virorum quasi mammarias glandulas aequantes, lactationis impotentes plerumque sunt. Non reticendum attamen, in faemellis junioribus primiparis mammas vel exilissimas ex suctionis stimulo ad ingens quandoque volumen increscere, optimeque lactationi respondere. Licet vulgus mammis insignis molis

majorem fidem adjungat, suspectae nihilominus sunt, interdum enim pinguedo voluminis rationem gerit, parvissima caeteroquin, et obruta mammaria glandula. Quapropter nec nimis ingentibus, nec parvissimis mammis praeditae mulieres prae caeteris seligendae. Intertutissimum criterium phaenomena, quae lactationis opus comitantur, lactis secreti quantitas, ejusdemque qualitas suppeditant. Neminem latet, varios characteres lac praeseferre, prouti citius ocyus post partum examinatur; et de die in diem majorem densitatem atque vim nutrientem acquirere, ita ut viribus recens nati pedetentim increscentibus, et digestionis operi magis, magisque firmato, provida naturae lege, continuo respondeat. In nutricis propterea selectu tempus in quo peperit, semper annuadvertendum, ut saltem proxime cum infantis aetate congruat. Siquidem porro, et varia organismi conditio varias secretiones moderatur; ita nutrices ad corporum matris infantis habitum, per quantum licet, accedant oportet.

Lac autem bonae notae consistentia est tenuis, ita ut si guttula in ungue, aut lamina vitrea, vel marmorea parum inclinata exploretur, facile depluit, nullum relinquens vestigium. Ejusdem color albidus est vix ad caeruleum vergens; sapor gratus, et dulcis, odor nullus. Quod ab hisce dissimile characteres praebet, suspectum, et rejiciendum.

Infantes difficulter aliquando suctionis operi primis vicibus adcommodantur. Papillas proinde mater vel nutrix lacte, vel syrupo quodam illinire debet, ut ad sugendum alliciantur; et tanta quandoque manu lac ipsum in tenelli os instillare fas est.

Caeterum statutis horis ad lac sugendum eos assuefacere praestat, nec mammae toties porrigendae sunt, quoties ratione quacunque inquieti adparcant. Gravi

pathemate perpesso, vel cito post pastum, vel e somno surgentis nutrices ad mammas haud admitant infantes: annosa enim experientia hanc praxim noxiam, immo saepe lethalem demonstravit.

Praeter congruam lactis quantitatem, ipsiusque qualitatem, aliis aeque curis indiget vix natus homo, ut incolumi polleat valetudine. Apud nostrates hyberno tempore in stabulis servantur infantes, quia ad speciem modicus aeris calor ipsis conducere videtur. Nil attamen pejus: humiditatem revera, et vitiatae atmosphaerae conditionem, quae tum ex animalibus effluviis respirationis opere elicitis, cum ob gasiformes substantias a putrescentibus excrementis extricatas, proficiscuntur, plurimarum aegritudinum germen ponere, facile cogitatione assequimur. Mos aeque communissimus est hyemali tempestate cum infante camino assidere; quo fit, ut saepe numero catarrhosae febres exoriantur. Damnosum item cedit ardenti sirio infantes exponere, et vix deambulantes eos nudatis relinquere pedibus. Nimis quidem cauta vicissitudinum atmosphaericarum vitatio, mollissimum reddit infantem, et eo perducunt, ut minimis postea adficiatur potentiis. Ast cum extrema se tangant, et aeque damnosa fiunt, haec sedulo vitanda.

Inter ea, quae prosperae salutis conditioni quammaxime contribuunt, perfecta mundities, et lectuli siccitas sane recensentur. Sive fasciae sive mappae suppositae, sive caetera indumenta vix quacumque ratione inquinata, sunt commutanda. Nil enim facilius quam ex immundo regimine, et praesertim excrementorum acrimonia dolorosae corii inflammatiunculae, molestissimo ubique pruritu stipatae.

Infantes lucida objecta plerumque avide intuentur. haec non ex latere nec post caput offerenda,

quum facile strabismus hac de causa originem sumat.

Sive ex nimio ingurgitato lacte, sive ex alio cibo incaute porrecto, sive taudem ex atmosphaericis influxubus, infantes haud raro in catarrhosas adfectiones incidunt. Morosi, inquieti fiunt, mammas perpetuo petunt, sed vix momento temporis ipsis adhaerent, alvum vel tardam, vel immorigeram, abdomem elatum, tensum etc. praebent. Nutrices, et matres universim cum cibo clamoribus, et inquietudini, cum pharmacis opiatis pervigilio occurrunt; talique pacto summam tenello perniciem inferunt.

Loco alimenti, et narcoticorum, leniora purgantia, ut syrupus cichorei cum rheo, et modicus diaphoreticorum usus apprime conducunt. Ex remediorum stupefacientium abusu, nimis proh dolor! et hodie communis, infantes stupidi, nullo modo postea sanatum fiunt. Stupiditatis rationem, et mos cunas, ut somnus concilietur, sedulo, et fortiter molitandi, gerit. Ubi caput praesertim depressum sit, quaenam inductae somnolentiae ratio esse potest, nisi sanguinis in capite coacervatio? Quid porro emolumenti continua illa jactatio praebere queit? Matres proinde, atque nutrices, quae infantum bonis prospiciunt, lactis copia, remediis narcoticis, et jactatione in cunis eorum inquietudini mederi non studeant, verum medicum arcescant, ipsiusque consilia servent.

Vix secundum vel tertium vitae mensem attingens infans nutricibus aliquando in proprio cubili locatur, et non raro contingit, tenellum lodicibus ubique pertectum, et corpore nutricis compressum, deleta animum reciprocandi facultate, praefocatum emoriri, quin nutrix profundo somno correpta infantem occidere sciat. Nunquam satis parentes vel hanc praxim fugiunt, vel

nutricibus prohibent, nec satis suppliciis puniuntur, quae huic crimini obnoxiae fiunt.

Praecepta regimen nutricum respicientia, ceu quod lactis qualitatem, ac quantitatem valdopere moderatur, non alienum esset hic locorum adjungere. Ast nimis a brevitatis limitibus nos distraheret. quare properanter nonnisi potissima, quae nutrices servare debent regiminis consilia, adjicimus. Animi pathemata coercere edirecant moerorem diuturnum fugiant, immo suavem hilaritatem servent; terrori resistant, vel eo perpesso, vel quocumque alio pathemate, prolem ad mammas non admittant. In cubiculo sat amplo, mundo, aëri libero, et satis luci pervio inhabitent: nimiam defatigatione aeque ac nimis inertem, et desem vitam fugiant: somnum statutis nocturnis horis sat longum sumant, et ubi infantis morositas eum praepediret, ita ut insomnes peragerent noctes, in die satis acquiescant. Victum laudabilem servant: acida vel facile acescentia fugiant: nimis millitos, salitos, vel et nimis pingues ac flatulentos cibos vitare studeant. Caepa, alium, nasturtium, halices, variaeque piscium conditionem species, legumina magna copia ingurgitata, etc. quamvis nutricibus haud male conducerent, lactis naturam facile invertunt, et infanti noxium hoc alimentum reddunt. Abstineant sedulo a vini abusu, a cerevisia meraca, a nimio coffeano potu. Hisce omnibus servatis suae ac infantis valetudini consulunt.

Admirabilis vires digerentes inter ac organa masticationi dicata consensus viget, ita ut deficientibus prima hominis aetate dentibus, vires ventriculi penitusinfirmae adpareant, hisce enatis validiores fiunt, et ex vetustate sponte elapsis, in pristinam ut plurimum imbecillitatem relabuntur. Solo lacte proinde infantes enutrire praestat; donec dentes erumpunt; quo

tempore alimenta ex pane, et lacte vaccino, vel caprino, vel ex pane, et carneis jusculis haud nimis pinguibus conflata per vices suppeditari possunt. Fructus acerbi, alimenta carnea, vinum et universim spirituosa, potus coffeanus etc. infantibus adversa existunt; et revera nimium multi ex pravo regimine in diuturnos conjiciuntur affectus, qui tumate organismo imprimuntur, ut vix unquam eradicari possint.

Quamvis morborum investigatio limites hujusce dissertationis praetergrediatur, nos attamen de nonnullis aegritudinibus infantibus communissimis sermonem haud abstinere possumus; nimis enim graves apud vulgum errores observantur, quorum gratia infantum vita maximo exponitur periculo. Has inter diarrhaea, aphtae, convulsiones, vermes, et crusta lactea veniunt, de quibus modo pauca dicemus.

Matres vel nutrices, quae inconsulte infantes aeri frigido exponunt, vel cum ipsis camino assident, vel frigida tenellum corpus abluunt aqua, vel nimis frequenter mammas lacte turgentes ipsis porrigunt, vel tandem eos praemature solidis alimentis sustentant, saepenumero rationes suppeditant, quibus pertinaces alvi fluxus exoriuntur. Caveant parentes ne diarrhaeas remediis stiptica virtute praeditis aggrediantur, verum remedia leniter diaphoretica, ut infusum florum sambuci sacchato edulcatum, remedia purgantia mitiora, et alimentum aetati congruum parva dosi porrigant; neo vulgaribus auxiliis fidem adjungant, sed medicorum opem deposcant, ubi exposita auxilia ipsos deserererit.

Aphtae infantum licet aliquando ex aeris atmosphaereci conditione, sensibus non semper percipienda, originem sumant, refrigerium, attamen corporis, pedum praeprimis, neglecta mundities, ingesta perversae notae, lac ex. gr. pravum, et nimia ejusdem ingurgitatio,

momenta sistunt, quae aphtarum ortui porro opitulantur.

Haec proinde sedula cura vitanda, vel ubi jam obortae sint aphtae, accurate removenda Morbo autem medentur leniter eccoprotica, manuata, oleosa, mucilaginosa, et dein acidula, salina etc. intus porrecta; externe auxiliis emollientibus ac detergentibus lenioribus insistendum, quae inter decoctum hordei cum melle rosato praestat Vesiculis vero in pustulas commutatis, remedia adstringentia conducunt; ast eorum usum, quin medicorum consilium accedat, haud suademus.

Communissimum phaenomenon morbosum, quod infantibus supervenit, convulsiones sistunt; immo vix non omnes, qui primo, vel altero aetatis anno e vita discedunt, convulsione obsiti pereunt Interim probe adnotandum, spasmos vix unquam essentialem sistere adfectum, verum dehiscentis morbosae conditionis symptoma esse. Saburras praesertim rancidas, mucosas, et vermes saepissime comitantur; quapropter valdopere hallucinantur qui credunt, remedia antispasmodica, roborantia, ac stimulantia hisce convulsionibus mederi. Purgantia, et anthelmintica cauta manu, et medicorum prudentia suppeditata, ea sunt quae infantes a vitae periculo avertunt; et stimulantia ac roborantia pharmaca tum solummodo conveniunt, cum sordibus gastricis evacuatis, vermibusque enecatis, atque dispulsis, de viribus digerentibus firmandis, ut reproductio praecaveatur, agretur.

Phaenomena, quae vermium in intestinis latitantium praesentiam evincunt, quamvis omnibus medicinae peritis nota, non alienum tamen duco hic locorum enumerare, et vulgum monere, ne vetularum omni peritia expertarum remedia indiscriminatim, quotiescumque nempe aegrotet infans, suppeditet. Pupillae dila-

tatio, insueta salivae copia ex ore depluens, halitus aliquantisper foetens, matutinis praesertim horis, narium pruritus, quem clare infantes demonstrant, manibus ipsas nares fricando, appetitus aberrationes, ipsa aliquando voracitas, cordis subinde palpitatio, vomitus, interdum stipsis, saepius tamen diarrhaea, et vermium evacuatio, annt praecipua helminthiaseos symptomata, quibus et alia accedunt, ubi praesertim inveterata sit adfectio. Parentes vermium praesentia evincta semen sanctum una cum medica jalappae dosi (*), vel solum purgantibus postea porrectis, suppeditent, quod prae caeteris sibi commendationem meretur, et innumera vetularum pharmaca rejiciant. Interim cum vermes hoc pharmaco baud dispellerentur, medicus est accersendus, ne infantes gravissimos morbos patiantur.

De crusta lactea modo dicturus, parentes commoneam benignum, immo salutare eacoderma esse, quod ex lactis mala conditione, praesertim si nutrices ab animi pathematibus excrucientur, vel liquoribus fermentatis abutantur, originem habet. Immuudities, cubicula calida, et humida in hunc morbum praeterea influunt. Quare haec omnia removenda, et sedulo cavendum, ne remediis adstringentibus eruptionis suppressio efficiatur. Levior crustae lacteae gradus in infante caeterum sano, praeter congruum alimentum, munditiem, ne pediculi increscant, et colatoria aperta, nulla porro exposcit auxilia; quae cum usurpare constituerint parentes medicorum suppetias petunt.

(*) Forma pulveris difficulter semen sanctum porrigitur. Electuarium propterea melle vel syrupo cichorei cum rheo conficere praestat. Seminis dosis a scrupolo semis ad integrum bis de die infantibus conducit.

Cum homo puerilitatis periodum ingreditur, summopere adhuc parentum curis indiget, quod ad victus rationem, motum ac quietem, mentis, corporisve occupationem etc. attinet. Meum attamen non est, haec omnia fuse enucleare; verum pauca dumtaxat exponam. Puero multum universim cibum prae primis vegetabilem, animali parum commixtum conducere, omnes opinantur, siquidem corporis incrementum satis pabulum requirit, et digerentes vires alimenta facile subigunt. Nil est, quod pejus pueribus cedat, quam fermentati potus, tam saepe et hodie usurpati. Primum enim vero vitalem processum nimis extollunt, morbos hypersthenicos aliosve inducunt, et regredientem ubique metamorphosim sollicitant, postremum infanstum germen execrandi vitii, bibendi intemperantiae, ponunt, quaa ortui opitulatur plurimarum adfectionum

Puero summe necessarius fit moderatus corporis motus, qui vires musculares erigit, corporis incrementum expedit, et membris quamdam impertitur torositatem. Notum enim est, membra motu, et exercitatione majus robur ac volumen adipisci. Nunquam proinde pueri diutius occlusis cubiculis, et scamno adstricti esse debent; verum pluries de die in aere libero versentur, et lusibus delectantur, oportet, circa attamen nimiam corporis defatigationem. Parentes porro animum adhibeant, ne pueri multo sudore diffluant, ne in frigidum ingredientur, et vestium madefactarum siccationem, quin eas demittant, tuto operiantur. Motus necessitatem ea quietis ac somni sequitur; et pueri universim multi somni indigent, ut motu diuturno amissas vires apte restaurent. Damnamus consuetudinem, pueros multa de nocte in cubili locandi, eosque cum dies jam multum sit e lecto tollendi. Aer enim matutinus ipsis, et omnibus universim animalibus val-

dopere proficuus est; nocet occlusus, vitiatus, qui plena nocte in cubiculis existit, ubi plures simul homines degunt, et lumina refulgent.

Pueri septimum vel octavum vitae annum attingentes, litteris, vel pro varia eorum conditione, quibusdam artibus sunt instituendi. Caveant nihilominus parentes, ne mentis corporisve nimia occupatione eos in antecessum premant. Nil enim damnosius; mens praematuris studiis labefactata, haud raro in quemdam conjicitur torporem; corporis evolutio praepeditur, et pueri cachectici, imperfecte evoluti difficillime eam, quae homini convenit, physicam perfectionem adipiscuntur. De corporeis exercitationibus (licet minus organismo infensae sint) eadem repetenda. Interim parentibus sacrum incumbit munus, pueros patientia, mansuetudine, hilaritate, dulcedine, aliisve moribus, qui hominem socialem, ubique acceptum reddunt, instruere, quia ex fonte praedicto et ipsa salus quodammodo derivatur.

Haec sunt illa, quae homini sub prima vitae periodo conveniunt, ut incolumi fruantur valetudine, et physicae, ac moralis futurae existentiae bonum germen ponatur. Cum autem et infantibus, et pueris quaedam de tuenda valetudine praecepta, modo quoad hominem adultum exaranda, apprime accommodentur; ita quae satis fuse in hac prima parte enumerata fuere, in altera paucis verbis recensebuntur, ex eo quod primo in casu agebatur de recta educatione individui, qui cum pervenerit, expositis sub curis, ad statutam normalem evolutionem, pauca desunt, ut hoc in statu rite, et diuturne servetur.

282

ALTERA SECTIO.

Quae adulti hominis, et senescentis saluti patrocinantur hygienes praecepta

Hominis studium supremi Numinis summam sapientiam ipsi homini demonstrat Admirabilis ejusdem fabrica, tot tantisque variis sistematibus conflata, quorum singulum suum speciale munus seorsim absolvit, et totius organismi integritatem una adjuvat; tot tantisque elementis, quorum characteres inter se immenso plus quam cogitatione assequi possimus, discrepant, in singulis partibus efformata; et demum vi peculiari, quae ex materiei conflictu oboritur, atque servatur, dum ipsa vis ejusdem materiei sub organica forma existentiam moderatur, instructa, divinitus integra manet, nullis accedentibus ab extus rationibus, quae normalem conditionem interturbent. Ast in universo macrocosmo ita se non habent res, et magis adhuc mira est ratio, qua animalis organismus se incolumem praestat. Perpetuus enim motus materies organicas inter contingit, novaeque sedulo compositiones ac decompositiones occurrunt; perpetuus viget ipsa organica corpora inter, eaque ac informem materiem sive solidam, sive liquidam, sive aëriformem conflictus, quo omnia universim corpora invicem alterius destructionem moliuntur, immo perficiunt; et eadem elementa nunquam nisi Numinis metu, mutanda, incomprehensibilem entium successionem efformant. Quo perfectiores organismi sunt, eo et numero plures, et agendi virtute activiores funt causae, quae ipsis insidias struunt, eorumque destructionem efficere nituntur, et homo eus omnium perfectissimus est. Conditio ejusdem socialis

immuniter potentiarum nocentium fontes auxit, immuniter rationes, quibus continue cum morbis ipsaque morte colluctatur. Aeris enim corruptio, nutrimentorum depravatio, eorum abusus, vel et defectus, desidia, vel labor nimius, animi pathemata cujuscumque generis, venus immodica, aliaque plura in hominis perniciem conspirant, et ubi hygienes praecepta, cujus imperio obedire non recusant, inexorabilis caeteroquin parcae, homini auxilio non adsint, infracta vitalis virtus tot, tantisque morbificis potentiis renitendo minime sufficit.

Qui ejusdem sanitati prospicere studet, ad varias aeris conditiones, alimentorum, et poculentorum indolem, eorumque usum, ad justam motus, et quietis, somni et vigiliae rationem, animum adhibeat, pathemata coercere edisçat, et venerem nimiam sedulo fugiat.

Hic finem constituimus, et verba quibus clarissimus auctor aphorismorum, de tuenda salute, suum opusculum absolvit, recensentes, dissertationis epitomem praebuimus. « Temperanza, sobrietà; astinenza dai liquori spiritosi, nettezza, esercizio frequente, respirazione d'aria pura, e dimora alla campagna, moderazione di lavoro, di riposo, di piaceri, riservatezza nell'uso dei medicamenti interni, e particolarmente la calma dello spirito, e la pace del cuore. tali sono i mezzi per conservarsi sano, e vivere lungamente felice »

THESES

I.

Non adsunt vasa, quae directe ad vesicam urinariam a ventriculo procedant.

II.

Methodus naturalis in vegetabilium classificatione a Botanicis minus peritis, vilis habita; a sapientibus aestimata.

III.

Phaenomena, quae in animali oeconomia contingunt, legibus chemicis parere haud credendum.

IV.

Nulla febris, nec ullus gravior sine materiei mutatione, morbus.

V.

Remediorum divisio, quae tantum quantitatem considerat, medicae praxi haud accommodatur.

VI.

Aconitum Napellus in morbis rheumaticis articulationum, anceps praebet remedium.

VII.

Alia est vis medicaminum in corpore sano, alia in morboso.

VIII.

Vitia cordis quam plurima ab Onanismo repetenda.

IX.

Venae-sectio cura, et hydropis causa

X.

Diarrhoea purgantibus, vomitus emeticis saepissime sanantur.

XI.

Haemophtises profusae ab apoplexia pulmonali derivandae.

XII.

Lethalitas, et gravitas vulnerum individuo vulnerato viventi, minime dijudicanda.

